



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De oratione. Qu[a]estio 83.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

affectus teneritudine, præcipuè cum consideratur ali-
quid delectabile cum permixtione alicuius tristabi-
lis: sicut solent homines lachrymari ex pietatis affe-
ctu, cum recuperant filios vel charos amicos, quos
existimauerant se perdidisse. Et per hunc modum
lachrymæ ex deuotione procedunt.

QVÆST. LXXXIII.

De oratione, in septemdecim articulos diuisa.

Inde considerandum est de oratione.

- D** Et circa hoc quærentur decem & septem.
- ¶ Primo, utrum oratio sit actus appetitiuæ virtutis,
vel cognitiuæ?
 - ¶ Secundo, utrum sit conueniens orare Deum?
 - ¶ Tertio, utrum oratio sit actus religionis?
 - ¶ Quarto, utrum solus Deus sit orandus?
 - ¶ Quinto, utrum in oratione sit aliquid determi-
natè petendum?
 - ¶ Sexto, utrum orando debeamus temporalia pe-
tere?
 - ¶ Septimo, utrum pro alijs orare debeamus?
 - ¶ Octauo, utrum debeamus orare pro inimicis?
 - ¶ Nono, de septem petitionibus orationis dominicæ.
 - ¶ Decimo, utrum adorare sit proprium rationalis
creaturæ?
 - ¶ Undecimo, utrum sancti in patria orent pro no-
bis?
 - ¶ Duodecimo, utrum oratio debeat esse vocalis?
 - ¶ Decimotertio, utrum attentio requiratur ad ora-
tionem?
 - ¶ Decimoquarto, utrum oratio debeat esse diu-
rna?
 - ¶ Decimoquinto, utrum oratio sit efficax ad impe-
trandum quod petitur?
 - ¶ Decimosexto, utrum sit meritoria?
 - ¶ Decimosextimo, de speciebus orationis.

Vtrum oratio sit actus appetitiue virtutis?

438 **A**D primum sic proceditur. Videtur, quod oratio
est exaudiri. Sed desiderium est quod exauditur à
Deo, secundum illud Psal. noni, Desiderium pauperum
exaudiuit Dominus. Ergo oratio est desiderium.
Sed desiderium est actus appetitiue virtutis.
Ergo & oratio.

¶ 2 Præterea, Dion. dicit in 3. cap. *de diu. nom.
Ante omnia ab oratione incipere est vtile, sicut Deo
nos ipsos tradentes & vnientes. Sed vnio ad Deum
per amorem fit, qui pertinet ad vim appetitiuam.
Ergo oratio ad vim appetitiuam pertinet.

¶ 3 Præterea, *Philosophus in 3. de anima, ponit
duas operationes intellectuæ partis: quarum prima
est indiuisibilium intelligentia, per quam scilicet
apprehendimus de vnoquoque quid est. Secunda
verò est compositio, & diuisio, per quam scilicet
apprehenditur aliquid esse, vel non esse: quibus
tertia additur ratiocinari, procedendo scilicet de
notis ad ignota. Sed oratio ad nullam istarum
operationum reducitur. Ergo non est actus intellectuæ
virtutis, sed appetitiue.

lib 10. c. 14. cuius princ. est Orthodoxus, in princ. Ps. 78. nō multum remotè à fine.
SED contra est, quod *Isidor. dicit in lib. Etym.
quod orare idem est quod dicere. Sed dictio pertinet
ad intellectum. Ergo oratio non est actus appetitiue
virtutis, sed intellectuæ.

RESPONDEO dicendum, quod secundum *Casiod.
oratio dicitur, quasi eris ratio. Ratio autè speculatiua,
& practica in hoc differunt, quod ratio speculatiua
est apprehensiuu solum rerum; ratio verò practica
est non solum apprehensiuu, sed etiã causatiua. Est
autè aliquid alterius causa dupliciter. Vno quidè modo
perfectè necessitatè inducendo; & hoc contingit
quando effectus totaliter subditur potestati cause.
Alio verò modo imperfectè solum disponendo:
quando scilicet effectus non subditur potestati cause
tota-

totaliter. Sic ergo & ratio dupliciter est causa aliorum. Vno quidem modo, sicut necessitate imponens. Et hoc modo ad rationem pertinet imperare non solum inferioribus potentijs & membris corporis, sed etiam hominibus subiectis: quod quidem fit imperando. Alio modo sicut inducens, & quodammodo disponens. Et hoc modo ratio petit aliquid fieri ab his, qui ei non subijciuntur, siue sint æquales, siue sint superiores. Vtrumque autem horum, scilicet & imperare & petere siue deprecari, ordinationem quamdam importat; prout scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum: unde pertinent ad rationem, cuius est ordinare. Propter quod Philof. * dicit in 1. Ethic. quod ad optima deprecatur ratio. Sic autem nunc loquimur de oratione, prout significat quãdam deprecationem vel petitionem, secundum quod Aug. dicit in lib. de verb. Domini, quod oratio petitio quãdam est. Et * Damascenus dicit in tertio libro, quod oratio est petitio decentium à Deo. Sic ergo patet quod oratio, de qua nunc loquimur, est rationis actus.

*c. vii. to-
mo 5.*

*de orth.
fid. 24.
in princ.*

Ad primum ergo dicendum, quod desiderium pauperum dicitur Dominus exaudire, vel quia desiderium est causa petendi: cum petitio quodammodo sit desiderij interpres. Vel hoc dicitur ad ostendendum exauditionis velocitatem: quia scilicet dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, Deus exaudit antequam orationem proponant: secundum illud Esa. 65. Eritque antequam clament, ego exaudiam eos.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra dictum est, voluntas mouet rationem ad suum finem. Vnde nihil prohibet mouente voluntate, actum rationis tendere in finem charitatis, qui est Deo uniri. Tendit autem oratio in Deum, quasi à voluntate charitatis mota dupliciter. Vno quidem modo ex parte eius quod petitur: quia hoc præcipue est in oratione petendum, vt Deo uniamur, secundum illud Psal. 26. Vnam

*1. p. 9. 8.
a. 4. et 1.
2. 9. 2.
1. ad 3. et
9. 8. 2. ar.
1. ad 1.*

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Alio modo ex parte ipsius petentis; quem oportet accedere ad eum, à quo petit, vel loco sicut ad hominem, vel

mente sicut ad Deum. Vnde dicit * ibidem, quòd quando orationibus inuocamus Deum, reuelata mente adsumus ipsi. Et secundum hoc etiam Damasc. dicit, quòd oratio est ascensus mentis in Deum.

Ad tertium dicendum, quòd illi tres actus pertinent ad rationem speculatiuam. Sed vterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperij, vel per modum punitionis, vt * dictum est.

ARTIC. II.

Vtrum sit conueniens orare?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit conueniens orare. Oratio enim videtur esse necessaria ad hoc, quòd intremus ei à quo petimus, id quo indigemus. Sed sicut dicitur Mat. 6. Scit pater vester, quia his omnibus indigetis. Ergo non est conueniens Deum orare.

¶ 2 Præterea, Per orationem fleatur animus eius qui oratur, vt faciat quòd ab eo petitur. Sed animus Dei est immutabilis, & inflexibilis, secundum illud 1. Regum 15. Porro triumphator in Israel non pœter, nec pœnitentia fleatur. Ergo non est conueniens, quòd Deum oremus.

¶ 3 Præterea, Liberalius est dare aliquid non petenti, quàm dare petenti: quia sicut * Seneca dicit, Nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta est. Sed Deus est liberalissimus. Ergo non videtur esse conueniens, quòd Deum oremus.

SED contra est, quòd dicitur Luc. 18. Oportet semper orare, & non desicere.

RESPONDEO dicendum, quòd triplex fuit circa orationem antiquorum error. Quidam enim posuerunt quod res humanæ non reguntur diuina prouidentia: ex quo sequitur, quod vanum sit orare, & omnino Deum colere.

Et

e. 13. de
diu nom.
paulo a
princ.
¶ 3. ort.
fia. c. 24.
in princ.
in corpo-
re ars.

439
a. dif. 15.
q. 4. a. 1.
q. 3. ad 1.
2. ¶ 3.
et ver. 9.
s. art. 2.
cor. ¶
opus 3. c.
255.

li. 2. de be-
nes. c. 1.
circa fin.

Et de his dicitur Malach. 3. Dixistis, vanus est qui
 seruit Deo. Secunda fuit opinio ponentium omnia
 etiam in rebus humanis ex necessitate contingere,
 siue ex immutabilitate diuinæ prouidentie, siue ex
 necessitate stellarum, siue ex connexione causarum.
 Et secundum hos etiam excluditur orationis utilitas.
 Tertia fuit opinio ponentium quidem res humanas
 diuina prouidentia regi, & quod res humanæ non
 proueniunt ex necessitate: sed dicebant similiter di-
 spositionem diuinæ prouidentie variabilem esse; &
 quod orationibus, & alijs quæ ad diuinum cultum
 pertinent, dispositio diuinæ prouidentie immutatur.
 Hæc autem omnia in primo * libro improbata sunt.
 Et ideo oportet sic inducere orationis utilitatem, ut
 neque rebus humanis diuinæ prouidentie subiectis
 necessitatem imponamus, neque etiam diuinam di-
 spositionem mutabilem æstimemus. Ad huius ergo
 prouidentiam considerandum est, quod ex diurna pro-
 uidentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed
 etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniât. In-
 ter alias autem causas, sunt etiam quorundam causæ
 actus humani: unde oportet homines agere aliqua,
 non ut per suos actus diuinam dispositionem immutet,
 sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secun-
 dum ordinem à Deo dispositum. Et idem etiã est in
 naturalibus causis. Et simile est etiã de oratione. Non
 enim propter hoc oramus, ut diuinam dispositionem
 immutemus: sed ut id impetremus, quod Deus dispo-
 suit per orationes sanctorum esse implendum. ut scilicet
 cet homines postulando mereantur accipere, quod
 eis Deus omnipotens ante secula disposuit donare,
 ut * Greg. dicit in libro dialog.

1 p. 9. 22.
 a. 2. et 4.
 et 9. 115.
 a. 6. et 7.
 116. et 9.
 19. ar. 7.
 C. 8.

li. 1. c. 8.
 à med.

Ad primum ergo dicendum, quod non est neces-
 sarium nos Deo preces porrigere, ut ei nostras indi-
 gentias, vel desideria manifestemus; sed ut nos ipsi
 consideremus in his, ad diuinum auxilium esse re-
 currendum.

in corpo-
 re art.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictu n. est,
 Sec. sec. Vol. ij. T ora io

oratio nostra non ordinatur ad immutationem diuinae dispositionis, sed ut obineatur nostris precibus, quod Deus disposuit.

Ad tertium dicendum, quod Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita: sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrenti ad Deum, & ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Vnde Chrysostomus* dicit, Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa; orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.

ARTIC. III.

Utrum oratio sit actus religionis?

in sententia id habet in li. d. oratio Deū, non pro. n. a. prin. inci. p. Dupli. ci. nomi. ne. par. est.

440
in a. 15.
co. 4.
d. 15 q. 4.
a. 1. q. 2.
c. a. 5. q.
1. ad 2.
par. 1. hu.
ius quas.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod oratio non sit actus religionis. Religio enim, cum sit pars iustitiæ, est in voluntate, sicut in subiecto. Sed oratio pertinet ad partem intellectuam, ut ex supra* dictis patet. Ergo oratio non videtur esse actus religionis, sed doni intellectus, per quod mens ascendit in Deum.

¶ 2. Præterea, Actus iustitiæ cadit sub necessitate præcepti. Sed oratio non videtur cadere sub necessitate præcepti, sed ex mera voluntate procedere, cum nihil aliud sit, quam volitorum petitio. Ergo oratio non videtur esse religionis actus.

¶ 3. Præterea, Ad religionem pertinere videtur ut quis diuinæ naturæ cultum, ceremoniamque afferat. Sed oratio non videtur aliquid Deo afferre: sed magis aliquid obtinendum ab eo petere. Ergo oratio non est religionis actus.

SED contra est, quod dicitur in Psal. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vbi dicit glossa, quod in huius figuram in veteri lege incensum dicebatur offerri in odorem suauitatis Domino. Sed hoc pertinet ad religionem. Ergo oratio est religionis actus.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est*, ad religionem proprie pertinet, reuerentiam & honorem Deo exhibere: & ideo omnia illa per quæ Deo reuerentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reuerentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subijcit, & proficitur orando se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas mouet alias potentias animæ in suum finem, sicut supra * dictum est. Et ideo religio quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam. Inter alias autem potentias animæ, intellectus altior est, & voluntati propinquior. Et ideo post deuotionem quæ pertinet ad ipsam voluntatem, oratio quæ pertinet ad partem intellectiuam, est præcipua inter actus religionis, per quam religio intellectum hominis mouet in Deum.

Ad secundum dicendum, quod non solum petere quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare, sub præcepto cadit. Sed desiderare quidem cadit sub præcepto charitatis, petere autem sub præcepto religionis. Quod quidem præceptum ponitur Matth. 7. ubi dicitur, Petite & accipietis.

Ad tertium dicendum, quod orando tradit hominem suam Deo, quam ei per reuerentiam subijcit, & quodammodo præsentat, ut patet ex auctoritate * Dionysij prius inducta. Et ideo sicut mens humana præminet exterioribus, vel corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei seruitium applicantur; ita etiam oratio præminet alijs actibus religionis.

ARTIC. IV.

Utrum solus Deus debeat orari?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod solus Deus debeat orari. Oratio enim est actus religionis ut * dictum est. Sed solus Deus est religione

q. 81. a. 2
q. 4.

ar. 1. h. 2
ius quæst.
ad 2.

Ibidem.

441
4. dif. 15.
q. 4. a. 5.
q. 1. q.
d. 38. q. 1.
a. 1. q. 1.
ad 4.
ar. 2700.

colendus. Ergo solus Deus est orandus.

¶ 2 Præterea, Frustra porrigitur oratio ad eum qui orationem non cognoscit. Sed solius Dei est orationem cognoscere. Tum quia plerumque oratio magis agitur interiori actu, quem solus Deus cognoscit, quam voce, secundum illud quod Apostolus dicit 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Tum etiam quia ut * August. dicit in libro de cura pro mortuis agenda, Nesciunt mortui, etiam sancti, quid agant viui, etiam eorum filij. Ergo oratio non est nisi Deo porrigenda.

e. 13. circa princ.

¶ 3 Præterea, Si aliquibus sanctis orationem porrigimus, hoc non est nisi in quantum sunt Deo coniuncti. Sed quidam in hoc mundo viuentes, vel in purgatorio etiam existentes, sunt multum Deo coniuncti per gratiam. Ad eos autem non porrigitur oratio. Ergo nec ad sanctos, qui sunt in paradiso, debemus orationem porrigere.

SED contra est, quod dicitur Iob 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.

RESPONDEO dicendum, quod oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum illud Psal. 82. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis angelis, & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat: sed ut eorum precibus & meritis orationes nostræ forciantur effectum. Et ideo dicitur Apocal. 8. quod ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia vtitur in orando. Nam à sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur: ab alijs autem sanctis quibuscumque, petimus ut orent pro nobis.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod illi soli intendimus orando religionis cultum, à quo quarimus obtinere quod oramus: quia in hoc protestamur eum bonorum nostrorum auctorem: non autem eis quos requirimus quasi interpellatores nostros apud Deum.

Ad secundum dicendum, quod mortui ea quæ in hoc mundo aguntur, considerata eorum naturali conditione, non cognoscunt, & præcipue interiores motus cordis. Sed beatis, ut * Gregor. dicit in 12. Moralium, in verbo manifestatur illud quod decet eos cognoscere de eis quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maxime autem excellentiam eorum decet ut cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce vel corde. Et ideo petitiones quas ad eos dirigimus, Deo manifestate cognoscunt.

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt in hoc mundo, aut in purgatorio, nondum fruuntur visione verbi, ut possint cognoscere ea quæ nos cogitamus vel dicimus. Et ideo eorum suffragia non imploramus, orando, sed à viuis petimus colloquendo.

ARTIC. V.

Utrum in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere?

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod in oratione nihil determinatè à Deo petere debeamus. Quia ut Damasc * dicit, Oratio est petitio decentium à Deo. Unde inefficax est oratio, per quam petitur id, quod non expedit: secundum illud Iac. 4. Petitis & non accipitis: eo quod malè petatis. Sed sicut dicitur Rom. 8. Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Ergo non debemus aliquid orando determinatè petere.

442
4. d. 15. q.
4. a. 4. q.
1. et op.
3. c. 110.
* 1. 3. ors.
fd. c. 24.

¶ 2 Præterea, Quicumque aliquid determinatè ab alio petit, nititur voluntatem ipsius inclinare ad faciendum id quod ipse vult. Non autè ad hoc tendere debemus, ut Deus velit quod nos volumus: sed magis ut nos velimus quod ipse vult, ut dicit glossa.

T 3 super

294 QVÆST. LXXXIII. ART. V.
super illud Pſal. 12. Exultate iuſti in Domino. Ergo
non debemus aliquid determinatè à Deo in oratio-
ne petere.

¶ 3 Præterea, Mala à Deo petenda non ſunt: ad
bona autem Deus ipſe nos inuitat. Fruſtra autem ab
aliquo petitur, ad quod accipiendum inuitatur.
Ergo non eſt determinatè aliquid à Deo in oratione
petendum.

SED contra eſt, quod Dominus Matt. 6 & Luc. 11.
Docuit diſcipulos determinatè petere ea quæ conti-
nentur in petitionibus orationis Dominicæ.

*l. 7. c. 2. in
ſis. extre-
ma, de
Socr. Phi-
loſ.*

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut * M.
Valerius refert, Socrates nihil ultra petendum à dijs
immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent:
quia hi demum ſcirent quid unicuiquè eſſet vtile.
Nos autem plerumque id votis expetimus, quod non
impetraſſe melius foret. Quæ quidem ſententia ali-
qualiter vera eſt, quantum ad illa quæ poſſunt malū
euentum habere: quibus etiam homo poteſt male
& benè vti: Sicut diuitiæ, quæ vt ibidem dicitur,
multis exitio fuere: honores, qui complures peſun-
dederunt: regna, quorum exitus ſæpè miſerabiles
cernuntur: ſplendida coniugia, quæ nonnumquam
funditus domos euertunt. Sunt tamen quædam bona,
quibus homo male vti non poteſt, quæ ſcilicet ma-
lum euentum habere non poſſunt. Hæc autem ſunt
quibus beatificamur, & quibus beatitudinem mere-
mur: quæ quidem ſancti orando absolute petunt:
ſecundum illud Pſal. 79. Offende faciem tuam, & ſal-
uati erimus. Et iterum 118. Deduc me in ſemitam man-
datorum tuorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet homo ex
ſe ſcire non poſſit quid orare debeat, Spiritus ta-
men, vt ibidem dicitur, in hoc adiuuat infirmitatem
noſtram, quòd inspirando nobis ſancta deſideria, re-
ctè poſtulare nos facit. Vnde Dominus dicit Ioan-
nis quarto, quòd veros adoratores adorare oportet
in ſpiritu & veritate.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd cum orando petimus aliqua, quæ pertinent ad nostram salutem, conformamus voluntatem nostram voluntati Dei: de qua dicitur 1. ad Timoth. 2. quòd vult omnes homines saluos fieri.

Ad tertium dicendum, quòd sic ad bona Deus nos inuitat, quòd ad ea non passibus corporis, sed pijs desiderijs, & deuotis orationibus accedamus.

ARTIC. VI.

Verum homo debeat temporalia petere à Deo, orando?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd homo non debeat temporalia petere à Deo, orando. Quæ enim orando petimus, quarimus. Sed temporalia non debemus querere. Dicitur enim Matth. 6. Primum querite regnum Dei, & iustitiã eius: & hæc omnia adjicientur vobis, scilicet temporalia: quæ nõ querenda dicit, sed adjicienda queritis. Ergo temporalia non sunt in oratione à Deo petenda.

443
4 d 15. q.
94. ar. 3.
9. 2.

¶ 2 Præterea, Nullus petit nisi ea de quibus est sollicitus. Sed de temporalibus sollicitudinem habere non debemus: secundum quod dicitur Matth. 6. Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis. Ergo temporalia petere non debemus orando.

¶ 3 Præterea, Per orationem nostram mens debet eleuari in Deum. Sed petendo temporalia descendit ad ea quæ infra se sunt: contra id quod Apostolus dicebat 2. ad Cor. 4. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Ergo non debet homo temporalia in oratione à Deo petere.

¶ 4 Præterea, Homo non debet petere à Deo, nisi bona & vtilia. Sed quandoque temporalia habita sunt nociua, non solû spiritualiter, sed etiam temporaliter. Ergo non sunt in oratione à Deo petenda.

SED contra est, quòd dicitur Prouerb. 30. Tribue tantum victui meo necessaria.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Augustinus dicit
epi. 121. c. 1. to. 2 ad Probam, de orando Deum, Hoc licet orare, quod
 licet desiderare. Temporalia autem licet desiderare:
 non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus,
 sed sicut quædam adminicula, quibus adiuvamur
 ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet
 per ea vita corporalis sustentatur; & in quantum
 nobis organice deseruiunt ad actus virtutum: ut etiam
 Philosophus dicit in 1. Ethic. Et ideo pro temporalibus
 licet orare. Et hoc est quod Augustinus dicit ad Probam,
 quod sufficientiâ vitæ non indecenter vult quis
 quis eam vult, & non amplius: quæ quidem non appetitur
 propter seipsam, sed propter salutem corporis,
 & congruentem habitum personæ hominis, ut non sit
 inconueniens eis cum quibus viuendum est. Ista
 ergo cum habentur, ut teneantur; cum non habentur,
 ut habeantur, orandum est.

Ad primum ergo dicendum, quod temporalia non
 sunt querenda principaliter, sed secundo, unde
 Augustinus dicit in lib. de serm. Domini in monte, Cum
 dixit illud, Primum querendum est, scilicet regnum
 Dei: significauit quia hoc, scilicet temporale bonum;
 posterius querendum est, non tempore, sed dignitate:
 illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam
 necessarium nostrum.

Ad secundum dicendum, quod non qualibet sollicitudo
 rerum temporalium est prohibita, sed superflua
 & inordinata: ut supra habitum est.

Ad tertium dicendum, quod quando mens nostra
 intendit temporalibus rebus, ut in eis quiescat, remanet
 in eis depressa. Sed quando intendit eis in ordine
 ad beatitudinem consequendam, non ab eis deprimitur,
 sed magis eleuatur sursum.

Ad quartum dicendum, quod ex quo non petimus
 temporalia tanquam principaliter quæsitâ, sed in ordine
 ad aliud: eo tenore a Deo petimus ipsa, ut nobis
 concedantur secundum quod expediunt ad salutem.

Vtrum debeamus pro alijs orare?

444

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod non debeamus pro alijs orare. In orando enim sequi debemus formam quam Dominus tradidit. Sed in oratione Dominica petitiones pro nobis facimus, non pro alijs, dicentes, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. Ergo non debemus pro alijs orare.

3. q. 21. 2.
3. ad 3. Es
4 d 15. q.
4. art 4.
q. 3.

¶ 2 Præterea, Ad hoc oratio fit, ut exaudiatur. Sed una de conditionibus quæ requiruntur ad hoc quod oratio sit exaudibilis, est ut aliquis oret pro seipso: unde super illud Ioann. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: August. dicit, Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus. unde non simpliciter dictum est, dabit: sed, dabit vobis. Ergo videtur, quod non debeamus pro alijs orare, sed solum pro nobis.

tra. 102.
no remo-
te a pri.
to. 9.

¶ 3 Præterea, Pro alijs, si sint mali, prohibemur orare: secundum illud Hierem. 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te. Pro bonis autem non oportet orare: quia ipsi pro seipsis orantes exaudiuntur. Ergo videtur quod non debeamus pro alijs orare.

SED contra est, quod dicitur Iac. 5. Orate pro inuicem, ut saluemini.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, illud debemus orando petere, quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona non solum nobis, sed etiam alijs. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis quam proximis debemus impendere: ut ex supra dictis patet. Et ideo charitas hoc requirit, ut pro alijs oremus. Unde Chrysost. dicit super Matth. Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

art. prac.

q. 25. q.
26.
* Hom.
14 in im
perfecta
cir. prin.
to. 2.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Cyprianus dicit in lib. de oratione Dominica, Ideo non dicimus pater meus, sed noster: nec da mihi, sed da nobis: quia unitatis magister noluit priuatim precem fieri: ut scilicet quis pro se tantum precetur. Vnum enim orare pro omnibus voluit: quoniam in vno omnes ipse portauit.

Ad secundum dicendum, quòd pro se orare ponitur conditio orationis: non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad inefficaciam impetrandi. Contingit enim quandoque, quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiam si fiat pie & perseveranter & de pertinentibus ad salutem: propter impedimentum quod est ex parte eius pro quo oratur: secundum illud Hierem. 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex charitate orat: secundum illud Psal. 34. Oratio mea in sinu meo conuertetur: gloss. id est, Etsi non eis profit, ego tamen non sum frustratus mea mercede.

Ad tertium dicendum, quòd etiam pro peccatoribus orandum est, ut conuertantur: & pro iustis, ut perseverent, & proficiant. Orantes tamen non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam. Exaudiuntur enim pro predestinatis, non autem pro preceis ad mortem. Sicut etiam correctio qua fratres corrigimus, effectum habet in predestinatis, non in reprobatis, secundum illud Eccles. 7. Nemo potest corrigere quem Deus despexerit. Et ideo dicitur 1. Ioan. 5. Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem. Sed sicut nulli quamdiu viuit hic, subtrahendum est correctionis beneficium, quia non possumus predestinatos distinguere a reprobatis, ut * August. dicit in lib. de correctione & gratia: ita etiam nulli est denegandum orationis suffragium, Pro iustis etiam est orandum.

* 15. 7.

tri-

triplici ratione. Primo quidem, quia multorum preces facilius exaudiuntur: unde super illud Rom. 15. Adiuuetis me in orationibus vestris: dicit * Glof. Bene rogat Apostolus minores pro se orare. Multi enim minimi dum congregantur vnanimis, fiunt magni: & multorum preces impossibile est quod non impetrent illud, scilicet quod est impetrabile. Secundo, vt ex multis gratia agatur Deo de beneficiis quæ conferuntur iustis: quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt: vt patet per Apostolum 2. ad Corinth. 1. Tertio, vt maiores non superbiant, dum considerant se minorum suffragiis indigere.

*est Amb.
cir si con
mentat: 7
ad 15. c.
ad Rom.
10. 5.*

ARTIC. VIII.

Vtrum debeamus pro inimicis orare?

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod non debeamus pro inimicis orare: quia vt dicitur Rom. 15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Sed in sacra Scriptura inducuntur multe imprecationes contra inimicos. Dicitur enim in Psal. 6. Erubescant & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valde velociter. Ergo & nos debemus orare contra inimicos nostros magis quam pro eis.

445
3. d. 20.
ar. 2. cor.
Et ver. 1.
2 a 8. 10.
fin.

¶ 2 Præterea, Vindicare de inimicis, in malum inimicorum cedit. Sed sancti vindictam de inimicis petunt, secundum illud Apoc. 6. Viquequo non vindicæ sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Unde & de vindicta impiorum lætantur, secundum illud Psal. 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Ergo non est orandum pro inimicis: sed magis contra eos.

¶ 3 Præterea, Operatio hominis & eius oratio nõ debent esse contraria. Sed homines quandoque licite impugnant inimicos: alioquin omnia bella essent illicita: quod est contra supra * dicta. Ergo nos non debemus orare pro inimicis.

9. 40. 4. 4

SE D contra est, quod dicitur Matth. 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.

RE-

a. 1. pra. 1. RESPONDEO dicendum, quòd orare pro
 alio, charitatis est, sicut * dictum est: unde eodem
 modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro
 inimicis orare. Qualiter autem teneamur inimicos
 diligere, supra * habitum est in tractatu de charita-
 te, ut scilicet in eis diligamus naturam, non culpam:
 Et quod diligere inimicos in generali est in praece-
 pro, in speciali autem non est in praecepto nisi se-
 cundum preparationem animi: ut scilicet homo es-
 set paratus etiam specialiter inimicum diligere,
 & eum iuare in necessitatis articulo, vel si veniam
 peteret. Sed in speciali absolute inimicos diligere,
 & eos iuare, perfectionis est. Et similiter necessi-
 tatis est, ut in communibus nostris orationibus quas
 pro alijs facimus, inimicos non excludamus. Quòd
 autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est,
 non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

Ad primum ergo dicendum, quòd imprecationes
 quae in sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter pos-
 sunt intelligi. Primo modo secundum quod Prophe-
 tae solent in figura imprecantis futura praedicere,
 ut * Augustinus dicit in libro de Sermonibus domini in
 monte. Secundo, prout quaedam temporalia mala
 peccatoribus quandoque à Deo in correctionem
 immittuntur. Tertio, quia intelliguntur petere non
 contra ipsos homines, sed contra regnum peccati:
 ut scilicet correctione hominum peccata destruantur.
 Quarto, conformando voluntatem suam diuinæ ius-
 titiae circa damnationem perseverantium in pec-
 cato.

Ad secundum dicendum, quòd sicut in eodem li-
 bro * August. dicit, vindicta martyrum est, ut euer-
 tatur regnum peccati, quo regnante tanta perpetrata
 sunt. Vel sicut dicitur in lib. de 7. quaestionibus veteris
 & noui testamenti, postulant se vindicari, non ve-
 ce, sed ratione: sicut sanguis Abel clamauit de terra.
 Latantur autem de vindicta, non propter eam,
 sed propter diuinam iustitiam.

Ad

Ad tertium dicendum, quod licitum est impugna-
re inimicos, ut compescantur à peccatis: quod ce-
dit in bonum eorum & aliorum. Et sic etiam licet
orando petere aliqua temporalia mala inimicorum,
ut corrigantur: & sic oratio & operatio non erunt
contraria.

ARTIC. IX.

*Utrum conuenienter septem petitiones orationis do-
minicæ assignentur?*

AD donum sic proceditur. Videtur, quod incon-
uenienter septem petitiones orationis Domi-
nicæ assignentur. Vanum enim est petere sanctifica-
ri illud, quod semper est sanctum. Sed nomen Dei
semper est sanctum, secundum illud Luc. 1. Sanctum
nomen eius. Regnum etiam eius est sempiternum, se-
cundum illud Psalm. 144. Regnum tuum Domine,
regnum omnium seculorum. Voluntas etiam Dei
semper impletur, secundum illud Isaïæ 46. Omnis
voluntas mea fiet. Vanum ergo est petere quod no-
men Dei sanctificetur, quod regnum eius adueniat,
& quod voluntas eius fiat.

¶ 2 Præterea, Prius est recedere à malo, quam
consequi bonum. Inconuenienter ergo videntur
præordinari petitiones, quæ pertinent ad consequen-
dum bonum, petitionibus quæ pertinent ad amo-
tionem mali.

¶ 3 Præterea, Ad hoc aliquid petitur, ut donetur.
Sed præcipuum donum Dei est Spiritus sanctus, & ea
quæ nobis per ipsum dantur. Ergo videntur inconue-
nienter poni petitiones, cum non respondeant donis
Spiritus sancti.

¶ 4 Præterea, Secundum Lucam, in oratione Do-
minicæ ponuntur solum quinque petitiones, ut patet
Luc. 11. Superfluum ergo fuit quod secundum Matt.
septem petitiones ponantur.

¶ 5 Præterea, In vanum videtur captare beneuo-
lentiam eius qui beneuolentia sua nos præuenit. Sed
Deus sua beneuolentia nos præuenit: quia ipse prior
dile-

446
3. d. f. 34.
q. 1. a. 6.
Et opus 3
c. 254. v. f.
que si. 19.
p. 7.

dilexit nos, ut dicitur 1 Ioan. 4. Superflue ergo præmittitur petitionibus, Pater noster, qui es in caelis: quod videtur ad benevolentiam caprandam pertinere.

SED in contrarium sufficit auctoritas Christi orationem instituentis.

*Epi. 121.
c. 13. in
pri. to. 2.*

RESPONDEO dicendum, quod oratio Dominica perfectissima est: quia sicut * August. dicit ad Probam, Si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est. Quia enim oratio est quodammodo desiderij nostri interpretis apud Deum, illa rectè solum orando petimus, quæ rectè desiderare valemus. In oratione autem Dominica nõ solum petuntur omnia quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt: ut sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus. Manifestum est autem quod primo cadit in desiderio nostro finis: deinde ea quæ sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: vno quidem modo prout volumus gloriam Dei: alio modo secundum quod volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectionem qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur, Sanctificetur nomen tuum: per quam petimus gloriam Dei. Secunda vero ponitur, Adueniat regnum tuum: per quam petimus ad gloriam Dei & regni eius peruenire. Ad finem autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter: vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem bonum quod est vile in finem. Est autem aliquid vile in finem beatitudinis dupliciter: vno modo directè & principaliter, secundum meritum quo beatitudinem mere-mur, Deo obediendo. Et quantum ad hoc ponitur, Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terra. Alio modo instrumentaliter & quasi coadiuuans nos ad mereendum. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Panem nostrum

nostrum quotidianum da nobis hodie : siue hoc intelligatur de pane sacramentali, cuius quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia sacramenta : siue etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus : sicut dicit * Augustinus ad Probam: Quia & eucharistia est præcipuum sacramentum, & panis est præcipuus cibus. Unde & in Euangelio Matthæi scriptum est, supersubstantialem, id est præcipuum, ut * Hieronymus exponit. Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis. Tria autem sunt, quæ nos à beatitudine prohibent. Primum quidem peccatum, quod directè excludit à regno, secundum illud 1. ad Corinth. 6. Neque fornicarij, neque idolis seruientes &c. regnum Dei possidebunt. Et ad hoc pertinet quod dicitur. Dimitte nobis debita nostra. Secundo, tentatio, quæ nos impedit ab obseruantia diuinæ voluntatis. Et ad hoc pertinet quod dicitur, Et ne nos inducas in tentationem : per quod non petimus ut non tentemur, sed ut à tentatione non vincamur: quod est in tentationem induci. Tertio pœnalitas præsens, ut quæ impedit sufficientiam vitæ. Et quantum ad hoc dicitur, Libera nos à malo.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut * August. dicit in lib. de Serm. dom. in monte, Cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum : non hoc petitur quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum ab hominibus habeatur : quod pertinet ad Dei gloriam, in hominibus propagandam. Quod autem dicitur, Adueniat regnum tuum, non ita dictum est, quasi Deus nunc non regnet : sed sicut * August. dicit ad Probam, Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus ut illud nobis veniat, atque in eo regnemus. Quod autem dicitur, Fiat voluntas tua : rectè intelligitur, ut obediatur præceptis tuis. Sicut in cælo & in terra, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Unde hæ tres petitiones perfectè complebuntur

in

*Epi. 121.
c. 11. in
med. t. 2.*

*Matth 6.
to. 9.*

*l. 2. c. 10.
circ. pri.
to. 4.*

*Epi 121.
c. 11. ante
te Mt. t. 2*

Enchi. c.
115. 6. 3. *Enchiridio.*

in vita futura. Aliæ verò quatuor pertinent ad necessitatem vitæ præsentis: sicut * August. dicit in Enchiridio.

12. c. 18.
30. 4.

Ad secundum dicendum, quòd cum oratio sit interpretres desiderij, ordo petitionum non respondet ordini executionis, sed ordini desiderij siue intentionis: in quo prius est finis, quàm ea quæ sunt ad finem; & consecutio boni, quàm remotio mali.

Ad tertium dicendum, quòd * Aug. in lib. de Ser. dom. in monte, adaptat septem petitiones donis & beatitudinibus, dicens, Si timor Dei est quo beati sunt pauperes spiritu, petamus vt sanctificetur nomen Dei in hominibus, timore casto. Si pietas est qua beati sunt mites, petamus vt veniat regnũ eius, & mitemur, nec ei resistamus. Si scientia est qua beati sunt qui lugent, oremus vt fiat voluntas eius: & sic non lugebimus. Si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt, oremus vt panis noster quotidianus deur nobis. Si consilium est quo beati sunt misericordes, debita dimittamus, vt nobis nostra dimittantur. Si intellectus est quo beati sunt mundo corde, oremus ne habeamus duplex cor, temporalia sectando, de quibus tentationes fiunt in nobis. Si sapientia est qua beati sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, oremus vt liberemur à malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet filios Dei.

116. in
priet. 3.

Ad quartum dicendum, quòd sicut * August. dicit in Enchirid. Lucas in oratione dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est. Ostendens enim tertiam petitionem, duarum præmissarum esse quodammodo repetitionem, præmittendo eam magis facit intelligi: quia scilicet ad hoc præcipue voluntas Dei tendit, vt eius sanctitatem cognoscamus, & cum ipso regnemus. Quod etiam Math. in ult. posuit, Libera nos à malo, Lucas non posuit: vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quòd non inferretur in tentationem.

Ad quintum dicendum, quòd oratio nõ porrigitur Deo,

Deo, ut ipsum sectamur, sed ut in nobis ipsis fiducia excitemus postulandi. Quæ quidem præcipue excitatur in nobis, considerando eius charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult: & ideo dicimus, Pater noster. Et eius excellentiam, qua potest: & ideo dicimus, Qui es in cælis.

ARTIC. X.

Vtrum orare sit proprium rationalis creaturæ?

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod orare non sit proprium rationalis creaturæ. Eiusdem enim videtur esse petere, & accipere. Sed accipere convenit etiam personis increatis, scilicet Filio & Spiritui sancto. Ergo etiam eis convenit orare. Nam & filius dicit Io. 14. Ego rogabo patrem meum. Et de Spiritu sancto dicit Apostolus. Spiritus postulat pro nobis.

¶ 2 Præterea, Angeli sunt supra rationales creaturas, cum sint intellectuales substantiæ. Sed ad Angelos pertinet orare: unde in Psal. 96. dicitur, Adorate eum omnes Angeli eius. Ergo orare non est proprium rationalis creaturæ.

¶ 3 Præterea, Eiusdem est orare, cuius est invocare Deum: quod præcipue fit orando. Sed brutis animalibus convenit invocare Deum, secundum illud Psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum invocantibus eum. Ergo orare non est proprium rationalis creaturæ.

SED contra, Oratio est actus rationis, ut supra habitum est. Sed rationalis creatura à ratione dicitur. Ergo orare est proprium rationalis creaturæ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex supra * dictis patet, oratio est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur: sicut imperium est actus rationis, quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi ergo proprie competit orare, cui convenit rationem habere, & superiorem quem deprecari possit. Divinis autem personis nihil est superius. Bruta autem animalia non habent rationem. Unde neque divinis personis

Sec. Sec. Vol. ij.

V

sonis

447

4. d. 15. q.

4. ar. 6. q.

1. q. 3.

ar. 1. hu-

ius 9.

Ibid.

sonis neque brutis animalibus conuenit orare, sed proprium est rationalis creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinis personis conuenit accipere per naturam. Orare autem est accipientis per gratiam. Dicitur autem filius rogare, vel orare, secundum naturam assumptam, scilicet humanam, non secundum diuinam. Spiritus autem sanctus dicitur postulare, quia postulantes nos facit.

Ad secundum dicendum, quod intellectus & ratio non sunt in nobis diuersæ potentie, vt in 1. * habitū est. Differunt autē secundū perfectum, & imperfectū. Et ideo quandoque intellectuales creaturæ, quæ sunt Angeli, distinguuntur à rationalibus: quandoque autem sub rationalibus cōprehenduntur. Et hoc modo dicitur oratio esse proprium rationalis creaturæ.

Ad tertium dicendum, quod pulli coruorum dicuntur inuocare Deum, propter naturale desiderium, quo omnia suo modo desiderant consequi bonitatem diuinam. Sic etiam bruta animalia dicuntur Deo obedire, propter naturalem instinctum, quo à Deo mouentur.

ARTIC. XI.

418 *Vtrum sancti qui sunt in patria, orant pro nobis?*

4 d. 15. q. 9.
4 a. 6. q. 2. et d. 45
9. 3. a. 3.
c. in Mar
ih. S. ter
tio loco.
de celeb.
Misar.

Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod sancti qui sunt in patria, non orant pro nobis. Alius enim alicuius magis est meritorius sibi quam alijs. Sed sancti qui sunt in patria, non merentur sibi, nec pro se orant: quia iam sunt in termino constituti. Ergo etiam neque pro nobis orant.

¶ 2 Præterea, Sancti perfecte suam voluntatem Deo conformant, vt non velint nisi quod Deus vult. Sed illud quod Deus vult, semper impletur. Ergo frustra sancti pro nobis orarent.

¶ 3 Præterea, Sicut sancti qui sunt in patria, sunt superiores nobis, ita & illi qui sunt in purgatorio, quia iam peccare non possunt. Sed illi qui sunt in purgatorio, non orant pro nobis, sed magis nos pro eis. Ergo nec sancti qui sunt in patria, pro nobis orant.

¶ 4 Præ-

¶ 4 Præterea, Si sancti qui sunt in patria, pro nobis orarent, superiorum sanctorum esset efficacior oratio. Non ergo deberet implorari suffragium orationum sanctorum inferiorum, sed solum superiorum.

¶ 5 Præterea, Anima Petri non est Petrus. Si ergo animæ sanctorum pro nobis orarent quamdiu sunt à corpore separatæ, non deberemus interpellare sanctum Petrum ad orandum pro nobis, sed animam eius: cuius contrarium Ecclesia facit. Non ergo sancti, ad minus ante resurrectionem, pro nobis orant.

SED contra est, quod dicitur 2. Mac. vlt. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta Dei.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Hieronymus * dicit, Vigilanti error fuit, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda oratio: præsertim cum martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare nequeant. Sed hoc est omnino falsum: quia cum oratio pro alijs facta, ex charitate proueniat, vt dictum * est: quanto sancti qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus qui orationibus iuuari possunt: & quanto sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem. Vnde & de Christo dicitur Hebr. 7. Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Et propter hoc Hierony. * contra Vigilantium dicit, Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro alijs orant: quanto magis post coronas, victorias & triumphos?

Ad primum ergo dicendum, quod sanctis, qui sunt in patria, cum sint beati, nihil deest beatitudinis, nisi gloria corporis, pro qua orant. Orant autem pro nobis, quibus deest beatitudinis vltima perfectio. Et eorum orationes habent efficaciam impe-

Circa fin. primi folij à principio. ep. q. incipit, Multa in orbe, t. 3. ar. 7. et 8.

loco cit. in principio. co. istius art.

trandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex diuina acceptatione.

Ad secundum dicendum, quod sancti impetrant illud quod Deus vult fieri per orationes eorum. Et hoc petunt, quod æstimant eorum orationibus implendum, secundum Dei voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad penas quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.

Ad quartum dicendum, quod Deus vult inferiora per omnia superiora iuari: & ideo oportet non solum superiores, sed etiam inferiores, sanctos implorare. Alioquin esset solius Dei misericordia imploranda. Coniungit tamen quandoque quod imploratio inferioris sancti efficacior est: vel quia deuotius imploratur, vel quia Deus vult eius sanctitatem declarare.

Ad quintum dicendum, quod quia sancti viuentes meruerunt vt pro nobis orarent: ideo inuocamus eos nominibus quibus hic vocabantur, quibus etiam nobis magis innotescunt: & iterum propter fidem, resurrectionis insinuandam: sicut legitur Exod. 3. Ego sum Deus Abraham, &c.

ARTIC. XII.

Vtrum oratio debeat esse vocalis?

449
3. d. 9. q. 1
a. 3. q. 3.
ad 3. Es
4. d. 15. q.
4. a. 2. q. 1
* arti 4.
huius q.
† arti. 1.
ad 2o

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod oratio non debeat esse vocalis. Oratio enim, sicut ex dictis * patet, principaliter Deo porrigitur. Deus autem locutionem cordis cognoscit. Frustra ergo vocalis oratio adhibetur.

¶ 2 Præterea, Per orationem mens hominis debet in Deum ascendere, vt dictum † est. Sed voces retrahunt homines ab ascensu contemplationis in Deum, sicut & alia sensibilia. Ergo in orationibus non est vocibus vtendum.

¶ 3 Præterea, Oratio debet offerri Deo in occulto,

culto, secundum illud Matth. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio orationem tuam in abscondito. Sed per vocem oratio publicatur. Ergo oratio non debet esse vocalis.

SED contra est, quod dicitur in Psalm. 3. Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est oratio, communis & singularis. Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet quod talis oratio innotescat toti populo pro quo profertur: quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntiant, ut ad noticiam omnium possint pervenire. Oratio verò singularis est quæ offertur à singulari persona cuiuscumque, siue pro se, siue pro alijs orantis. Et de huiusmodi orationis necessitate non est quod sit vocalis. Adiungitur tamen vox tali orationi, triplici ratione.

Primo quidem ad excitandum interiorem devotionem, qua mens orantis eleuetur in Deum: quia per exteriora signa, siue vocum, siue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis, & secundum apprehensionem, & per consequens secundum affectionem. Vnde Augustinus dicit ad Probam quod verbis & alijs signis ad augendum desiderium sanctum, nos ipsos acius excitamus. Et ideo in singulari oratione tantum est vocibus, & huiusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est à talibus cessandum. Quod præcipue contingit in his quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata. Vnde Psalm. 9. dicebat, Tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea. Et de Anna legitur 1. Reg. 1. quod loquebatur in corde suo.

*Epi. 127.
c. 9. circa
prin. 2. 2.*

Secundò, adiungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti: vt scilicet homo Deo seruiat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore. Quod præcipue competit orationi, secundum quod est satisfactoria. Vnde dicitur Osee vlti. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos laborum nostrorum.

Tertiò, adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud Psalm. 15. Latatum est cor meum, & exultauit lingua mea.

Ad primum ergo dicendum, quod vocalis oratio non profertur ad hoc quod aliquid ignotum Deo manifestetur, sed ad hoc quod mens orantis, vel aliorum exciretur in Deum.

Ad secundum dicendum, quod verba ad aliud pertinentia distrahunt mentem, & impediunt deuotionem orantis. Sed verba significantia aliquid ad deuotionem pertinens, excitant mentes, præcipue minus deuotas.

*Ho 17. in
opr. imp.
post med.
10. 2.*

*l. 2. c. 6. v.
prin. 10. 4*

Ad tertium dicendum, quod sicut Chrysof. * dicit super Mattheum, eo proposito Dominus vult in conuentu orare, vt à conuentu videatur. Vnde orans nihil nouum facere debet quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo. Nec tamen, vt August. dicit in lib. * de Sermone Domini in monte, videri ab hominibus nefas est, sed ideò hoc agere: vt ab hominibus videaris.

ARTIC. XIII.

*Utrum de necessitate orationis sit, quod sit
attenta?*

450
*c. dolent-
es, de ce-
leb. Miss.*

Ad tertiumdecimum sic proceditur. Videtur, quod de necessitate orationis sit, quod sit attenda. Dicitur enim Ioan 4. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Sed oratio non est in spiritu, si non sit attenda. Ergo de necessitate orationis est, quod sit attenda.

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Oratio est ascensus intellectus in Deum. Sed quando oratio non est attendita, intellectus non ascendit in Deum. Ergo de necessitate orationis est, quod sit attendita.

¶ 3 Præterea, De necessitate orationis est, quod careat omni peccato. Sed non est absque peccato quod aliquis orando evagationem mentis patiat. Videtur enim deridere Deum: sicut si alicui homini loqueretur, & non attenderet ad ea quæ ipse proferret. Unde Basilius * dicit, quod divinum auxilium est implorandum, non remissè nec mente huc vel illuc evagante: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed etiam magis Deum irritabit. Ergo de necessitate orationis videtur quod sit attendita.

SED contra est, quod etiam sancti viri orando quandoque evagationem mentis patiuntur, secundum illud Psal. 79. Cor meum dereliquit me.

RESPONDEO dicendum, quod questio hæc præcipue habet locum in oratione vocali. Circa quæ sciendum est, quod necessarium dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, per quod melius pervenitur ad finem: & sic attentio absolute orationi necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum: sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in alijs meritorijs actibus accidit*. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare. Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa. Illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit, ut Gregor. dicit. Tertius

* In ser. cuius tit. est, Infirmus ad vitam perfectam, & de Orando Deum post me. ill. 2. & in consili. exor. c. 1.

ut sup. dicitur est.

autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritalis refectio mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio: ut dicitur 1. Corinth. 14. Si orem lingua, mens mea sine fructu est. Sciendum tamen quod triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi: una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: secunda, qua attenditur ad sensum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. Et quandoque in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, ut etiam omnium aliorum mens obliuiscatur: sicut dicit Hugo * de sancto

In lib. de modo orandi c. 2. a med. to. 2.

Victore .
Ad primum ergo dicendum, quod in spiritu & veritate orat qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiam si ex aliqua infirmitate mens postmodum euagetur.

Ad secundum dicendum, quod mens humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest. Pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideo contingit, quod quando mens orantis ascendit in Deum per contemplationem, subito euagetur ex quadam infirmitate.

In 3. regula, to. 1

Ad tertium dicendum, quod si quis ex proposito in oratione, mente euagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et contra hoc Augustinus * dicit in regula, Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore.

In ser. de orando Deum, a me. illius

Euagatio verò mentis quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Vnde Basilius * dicit, Si verò debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcumque potest seipsum cohibeas, & Deus ignoscit: eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo.

Utrum oratio debeat esse diuturna?

451

AD quartumdecimum sic proceditur. Videtur, quod oratio non debeat esse diuturna. Dicitur enim Matth. 6. Orantes nolite multum loqui. Sed oportet multum loqui diu orantē: præsertim si oratio sit vocalis. Ergo non debet esse oratio diuturna.

4. d. 15. q. 2. a. 2. q. 2 et 3. Et Ro. 1. le 5. co 4. l. 8

¶ 2. Præterea, Oratio est explicitiua desiderij. Sed desiderium tanto est sanctius, quanto magis ad unum restringitur, secundum illud Psal. 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram. Ergo & oratio tanto est Deo acceptior, quanto est breuior.

1. Cor. 3. fin. Co 6. p. 1. Et primę The. 5. le. 2. co 2. fi.

¶ 3. Præterea, Illicitum videtur esse, quod homo transgrediatur terminos à Deo præfixos, præcipue in his quæ pertinent ad cultum diuinum: secundum illud Exod. 19. Contestare populū, ne forte velit transcendere propositos terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sed à Deo præfixus est nobis terminus orandi per institutionem orationis Dominicæ, vt patet Matth. 6. Ergo non licet ultra orationem protrahere.

SED contra, Videtur quod continuè sit orandum: quia Dominus dicit Luc. 18. Oportet semper orare & non deficere. Et primæ ad 1. thess. 5. Sine intermissione orate.

RESPONDEO dicendum, quod de oratione dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum se ipsam: alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu vel virtute: manet enim virtus huius desiderij in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, vt dicitur 1. ad Corinth. 10. Et secundum hoc oratio debet esse continua. Vnde August. † dicit ad Probam, in ipsa fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quia oportet alijs

† Ep. 127. cap. 9 in prin. 10. 2

*Eod. loco
nunc pro
xime di-
cto.*

alijs operibus occupari. Sed sicut August. dicit † ibi-
dem; Idem per certa intervalla horarum & temporū
etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nos
ipfos admoneamus, quantumcumque in hoc deside-
rio profecerimus, nobis ipsis innotescamus; & ad
hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Vniuscui-
usque autem rei quantitas debet esse proportionata
fini, sicut quantitas potionis sanitati: vnde & con-
ueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est
vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem.
Cum verò hanc mensuram excedit, ita quòd sine
trudido durare non possit, non est vterius oratio pro-
tendenda. Vnde August. * dicit ad Probam, Di-
cuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere
orationes, sed eas tamen breuissimas, & rapim.
quodam modo iaculatas: ne illa vigilanter erecta,
quæ oranti plurimum necessaria est, per productio-
res moras euanescat, atque hebetetur intentio. Ac
per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem
sicut non esse obruendam, si perdurare non potest;
ita, si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Et
sicut hoc est attendendum in oratione singulari per
comparationem ad intentionem orantis, ita etiam
in communi oratione per comparisonem ad populi
deuotionem.

*Epi. 121.
c. 10. cir-
ca med.
to. 2.*

*Epi. 121.
c. 10. so. 2* Ad primum ergo dicendum, quòd sicut August. *
dicit ad Probam, non est hoc orare in multiloquio,
si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diu-
turnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum
est, quòd pernoctauerit in orando, & quòd proli-
xius orauerit, vt nobis præberet exemplum. Et po-
stea subdit, Absit ab oratione multa locutio, sed
non desit multa precatio, si feruens perseverat in-
tentio. Nam multum loqui, est, in orando, rem-
nensariam superfluis agere verbis. Plerumque
autem hoc negotium plus gemitibus quàm sermoni-
bus agitur.

Ad secundum dicendum, quòd prolixitas oratio-
nis

nis non consistit in hoc quod multa petantur; sed in hoc quod affectus continetur ad vnum desiderandum.

Ad tertium dicendum, quod Dominus non instituit hanc orationem, ut his solis verbis uti debeamus in orando: sed quia ad hæc sola impetranda debet tendere nostræ orationis intentio, qualitercumque ea proferamus vel cogitemus.

Ad quartum dicendum, quod aliquis continuè orat, vel propter continuitatem desiderij, ut dictum est*: vel quia non intermittit quin temporibus statutis oret: vel propter effectum, siue in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis deuotus; siue etiam in alio: puta cum aliquis suis beneficijs prouocat alium ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat & quiescit.

ARTIC. XV.

Vtrum oratio sit meritoria?

Ad quintumdecimum sic proceditur. Videtur, quod oratio non sit meritoria. Omne enim meritum procedit à gratia. Sed oratio præcedit gratiam: quia etiam ipsa gratia per orationem impetratur, secundum illud Lucæ 11. Pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se. Ergo oratio non est actus meritorius.

¶ 2 Præterea, Si oratio aliquid meretur, maximè videatur mereri illud, quod orando petitur. Sed hoc non semper meretur: quia multoties etiam sanctorum orationes non exaudiuntur: sicut Paulus non est exauditus petens à se remoueri stimulum carnis. Ergo oratio non est actus meritorius.

¶ 3 Præterea, Oratio præcipuè fidei innititur, secundum illud Iacob. 1. Postulet autem, in fide nihil hæsitans. Fides autem non sufficit ad merendum, ut patet in his qui habent fidem informem. Ergo oratio non est actus meritorius.

SED contra est, quod super illud Psal. 34. Oratio mea

452
Sup a 7.
ad 2. 18
4. 2. 15. 9.
4. 2. 7. 9.
2. per 10.
9. 2. 6.
ad 3.

mea in sinu meo conuertetur, dicit glossa, Etsi eis nō profuit, ego tamen non sum mea mercede frustratus. Merces autem non debetur nisi merito. Ergo oratio habet rationem meriti.

Art. 13.
huius 9.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est *, oratio præter effectum spiritualis consolationis, quam præsentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem, sicut & quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fructum meremur. Procedit tamen oratio à charitate, mediante religione, cuius est actus oratio, ut dictum est * : concomitantibus etiam quibusdam alijs virtutibus, quæ ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate & fide.

Art. 3 huius 9.

Ad religionem enim pertinet ipsam orationem Deo offerre: ad charitatem verò pertinet desiderium rei, cuius complementum oratio petit. Fides autem est necessaria, ex parte Dei quem oramus: ut scilicet credamus ab eo nos posse obtinere quod petimus. Humilitas autem est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit. Est etiam & deuotio necessaria. Sed hoc ad religionem pertinet, cuius est primus actus necessarius ad omnes consequentes, ut supra dictum est *. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei quem oramus: qui etiam nos ad orandum inducit. Vnde August. dicit * in lib. de verbis Domini, Non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare veller. Et Chrysost. dicit, Numquam oranti beneficia denegat, qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat.

Art. 1. q.

præ:

* ser 29.

nō remo-

sè a præ-

dom. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio sine gratia gratum faciente, meritoria non est: sicut nec aliquis alius actus virtuosus. Et tamen etiam oratio quæ impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia ipsum orare est

est quoddam donum Dei, ut August. dicit in lib. de Perseuerantia.

Ad secundum dicendum, quod ad aliud principali-
ter respicit meritum orationis quandoque, quam ad
id quod petitur. Meritum enim precipue ordinatur
ad beatitudinem, sed petitio orationis directe se ex-
tendit quandoque ad aliqua alia, ut ex dictis * patet.
Si ergo illud aliud quod petit aliquis pro seipso, non
fit ei ad beatitudinem utile, non meretur illud; sed
quandoque hoc petendo & desiderando, meritum
amittit: puta si petat à Deo complementum alicuius
peccati, quod est, non pie orare. Quandoque verò nõ
est necessariũ ad salutem, nec manifestè saluti cõtra-
rium: & tunc, licet orans possit orando mereri vitã
æternam, non tamen meretur illud obtinere, quod
petit. Vnde August. dicit in lib. sententiarũ Prospe-
ri *, Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hu-
ius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer
non auditur. Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit
medicus quàm ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus
non fuit exauditus, petens amoueri stimulum carnis:
quia non expediebat. Si verò id quod petitur, sit vti-
le ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius
salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam
alia bona opera faciendo. Et idè indubitanter ac-
cipit quod petit, sed quando debet accipere. Que-
dam enim non negantur, sed vt congruo denur tem-
pore, differuntur, vt August. dicit * super Ioan. quod
tamen potest impediri, si in petendo non perseue-
ret. Et propter hoc dicit Basil. † Idè quandoque pe-
tis, & non accipis: quia perperam postulasti, vel iusi-
deliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel de-
stitisti. Quia verò homo non potest alij mereri vi-
tam æternam ex condigno, vt supra dictum * est:
ideo per consequens nec ea quæ ad vitam æternam
pertinent, potest aliquando aliquis ex condigno alteri
mereri. Et propter hoc non semper ille auditur, qui
pro alio ora, vt supra habitum est*. Et idè ponitur
qua.

a 6 et 7.

In li qui
infr. bi-
tur Sen-
tentiæ ex
Aug. or-
at. 2. c. 6.
212. 10. 7.
inter 4. 2.
ta Au.

* tr. 107.
paulo a
pi. 10. 4.
† In ser.
de oratio
Deum a
medio.
* 1. 2. c.
114 a 6.
ar. 7. ad
2. c. 3.

quatuor condiciones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter.

Ad tertium dicendum, quod oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam merendi, quia sic innititur principaliter charitati: sed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentis diuinæ & misericordis, ex quibus oratio impetrat quod petit.

ARTIC. XVI.

Vtrum peccatores orando, impetrent aliquid a Deo?

478
inf. 9. 178
a. 2. ad 1.
Et po. 9.
6. art. 9.
ad 5. Et
10. 4. lect.
10. 3. et 4.

AD sextumdecimum sic proceditur. Videtur, quod peccatores orando non impetrent aliquid a Deo. Dicitur enim Ioan. 9. Scimus quia peccatores Deus non audit. Quod consonat ei quod dicitur Proverbia. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Oratio autem execrabilis non impetrat aliquid a Deo. Ergo peccatores non impetrant aliquid a Deo.

¶ 2 Præterea, Iusti impetrant a Deo illud quod merentur, ut supra habitum est *. Sed peccatores nihil possunt mereri: quia gratia carent, & etiam charitate, quæ est virtus pietatis, ut dicit gloss. 1. ad Timoth. 3. super illud, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et ita non piè orant: quod requiritur ad hoc quod oratio impetret, ut supra dictum est *. Ergo peccatores nihil impetrant orando.

ar. præc.
ad 2.
In opere
imperfecto
homo.
14.

¶ 3 Præterea, Chrysostomus dicit super * Matthæum, Pater non libenter exaudit orationem quam filius non distulit. Sed in oratione quam Christus distulit, dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quod peccatores non faciunt. Ergo vel mentiuntur hoc dicentes, & sic non sunt exauditione digni: vel si non dicant, non exaudiuntur: quia formam orandi a Christo imititiam non seruant.

S E D

SED contra est, quod August. * dicit super Ioan. * tra 44. Si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset, Domine propitius esto mihi peccatori. Et Chrysoft. dicit super Matth. † Omnis qui petit, accipit: id est, siue iustus sit, siue peccator. in Ioā. a med. 10. 9 † ho. 18. in opere imperfe- flo, parū ante me- diū, 10. 2.

RESPONDEO dicendum, quod in peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus: & culpa quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id est, secundum desiderium peccati, in hoc a Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam: dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, ut Augustinus dicit *. Orationem verò peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia; obseruatis tamen quatuor † præmissis conditionibus: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter. * tra. 73. in Ioan. paulò a præ. 10. 9. Et de ver- bis domi- ni, sermo- ne 53. † ar. præ. ad 1. tract. 44. in 10. a med. 10. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut August. dicit super Ioan. * illud verbum est cæci adhuc inun- di, id est, nondum perfecte illuminati; & ideo non est ratum: quamuis possit verificari, si intelligatur de peccatore, in quantum est peccator: per quem etiam modum oratio eius dicitur execrabilis. in Io. a med. 10. 9.

Ad secundum dicendum, quod peccator non potest piè orare, quasi eius oratio ex habitu virtutis infor- metur. Potest tamen eius oratio esse pia, quantum ad hoc quod petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille qui non habet habitum iustitiæ, potest aliquid iu- stum velle, ut ex supradictis patet *. Et quamuis eius oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetra- tiua: quia meritum innititur iustitiæ, sed imperatio innititur gratiæ. In cor. a. & q. 10. ar. 4. & q. 58. ar. 1. ad 3. † ar. 7. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est †, oratio Dominica profertur ex persona cõmuni totius Ecclesie. Et ideo si aliquis nolens dimittere debita pro-

proximo, dicat orationem Dominicam, non mentitur: quamvis hoc quid dicit, non sit verum quantum ad suam personam: est enim verum, quantum ad personam Ecclesie, extra quam est, merito: & ideo fructu orationis caret. Quandoque tamen aliqui peccatores parati sunt debitoribus suis dimittere; & ideo ipsi orantes exaudiuntur, secundum illud Eccl. 28. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.

ARTIC. XVII.

Vtrum conuenienter dicantur esse orationis partes, Obsecrationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones?

454
4. d. 15. q.
4. a. 2. Et
Phi 4. co.
3. q. 1. e.
in 2. cor.
1. q. 2.
Origen.
hōm vlt
in Mat.
nō multū
remotū
ante ne-
dū, 10. 3.
† li. 3. de
fid. c. 24.

AD Decimumseptimum sic proceditur. Videtur quod inconuenienter dicantur esse orationis partes, obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones. Obsecratio enim videtur esse quedam adiuratio. Sed sicut Origenes dicit * super Mattheum, Non oportet, quod vir qui vult secundum Euangelium viuere, adiuret alium. Si enim iurare non licet, nec adiurare. Ergo inconuenienter ponitur obsecratio orationis pars.

¶ 2. Præterea, Oratio † secundum Damascenum, est petitio decentium à Deo. Inconuenienter ergo orationes contra postulationes diuiduntur.

¶ 3. Præterea, Gratiarum actiones pertinent ad præterita, alia verò ad futura, Sed præterita sunt priora futuris. Inconuenienter ergo gratiarum actiones post alia ponuntur.

In contrarium est auctoritas Apostoli primæ ad Timoth. 2.

RESPONDEO dicendum, quod ad orationem tria requiruntur, Quorum primum est, vt orans accedat ad Deum quem orat. quod significatur nomine Orationis: quia oratio est ascensus intellectus in Deum. Secundò requiritur petitio, quæ significatur nomine Postulationis, siue petitio proponatur determinate, quod quidam nominant proprie postulationem.

tionem: siue indeterminatè, vt cum quis petit iuari à Deo, quod nominant supplicationem: siue solum factum narretur, secundum illud Ioan. 11. Ecce quem amas infirmatur: quod vocant insinuationem. Tertiò, requiritur ratio impetrandi quod petitur: & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis. Ratio quidem impetrandi ex parte Dei est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri, secundum illud Danielis 9. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam. & ad hoc pertinet obsecratio, quæ est per sacra contestatio: sicut cum dicimus, Per natiuitatem tuam libera nos Domine. Ratio verò impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio: quia de acceptis beneficijs gratias agentes meremur accipere potiora, vt in collecta dicitur. Et ideo dicit gl. * 1. ad Timoth. 2. quòd in missa obsecrationes sunt quæ præcedunt consecrationem, in quibus quædam sacra commemorantur. Orationes sunt in ipsa consecratione, in qua mens maximè debet eleuari in Deum. Postulationes autem sunt in sequentibus petitionibus. Gratiarum actiones in fine. In pluribus etiam Ecclesiæ collectis hæc quatuor possunt attendi: sicut in collecta Trinitatis, quod dicitur, Omnipotens sempiternus Deus, pertinet ad orationis ascensum in Deum. Quod dicitur, Qui dedisti famulis tuis, &c. pertinet ad gratiarum actionem. Quod dicitur, Præsta quæsumus, &c. pertinet ad postulationem. Quod in fine ponitur, Per Dominum nostrum, &c. pertinet ad obsecrationem. In collationibus autem Patrum * dicitur, quòd obsecratio est imploratio pro peccatis: oratio cum aliquid Deo vouemus: postulatio cum pro alijs petimus. Sed primum melius est.

Ad primum ergo dicendum, quòd obsecratio non est adiuratio ad compellendum, quæ prohibetur: sed ad misericordiam implorandum.

Ad secundum dicendum, quòd oratio communiter sumpta includit omnia quæ hic dicuntur. Sed

gl. ord. in prin. commentarij ad c. 2. 1. ad Timoth.

In collatione 9. c. 11. 12. 13. f. mul.

322 QVÆST. LXXXIV. ART. I.
secundum quod contra alia diuiditur, importat proprie ascensum in Deum.

Ad tertium dicendum, quod in diuersis præterita, præcedunt futura. Sed aliquid vnum & idem, prius est futurum quam sit præteritum. Et ideo gratiarum actio de alijs beneficijs præcedit postulationem aliorum beneficiorum. Sed idem beneficium prius postulatur, & vltimò cum acceptum fuerit, de eo gratia aguntur. Postulationem autem præcedit oratio, per quam acceditur ad Deum à quo petimus. Orationem autem præcedit obsecratio: quia ex consideratione diuinæ bonitatis, ad eum audemus accedere.

QVÆST. LXXXV.

De exterioribus actibus latria, in tres articulos diuisa.

Postea considerandum est de exterioribus actibus latria.

¶ Et primo, de adoratione, per quam aliquis seipsum corpus ad Deum venerandum exhibet.

¶ Secundo, de illis actibus, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur.

¶ Tertio, de actibus quibus ea quæ Dei sunt, absumuntur.

¶ Circa primum queruntur tria.

¶ Primo, utrum adoratio sit actus latria?

¶ Secundo, utrum adoratio importet actum interio-rem, vel exteriorem?

¶ Tertio, utrum adoratio requirat determinationem loci?

ARTIC. I.

Utrum adoratio sit actus latria, siue religionis?

455
3. d. 10 q.
1. a. 2 q.
7. Et 1.
contra c.
119.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod adoratio non sit actus latria, siue religionis. Cultus enim religionis soli Deo debetur. Sed adoratio non debetur soli Deo. Legitur enim Gen. 18. quod Abraham adorauit Angelos. Et 3. Regum 1. dicitur quod Nachan Propheta ingressus ad regem David, adorauit eum pronus in terram. Ergo adoratio non est actus religionis.

¶ 2. Pre-